

Lorenz Bodock

Luctuosissimus Ac Praematurus Obitus ... Puellae Annae Catharinae von Moltken. Quae ... Anno 1654. ... commigravit. De Quo ... Moestissimos Parentes Dn. Joachimum Fridericum von Moltken ... Ut Et Dn. Mariam von Moltken/ Ex generosa Sperlingiorum Prosapia oriundam In Solenni Funeris Deductione, Splendidoque Conventu ...

Rostochii: Kilius, 1655


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770662919>


Druck Freier  Zugang



Bodock, L.,
in
A. C. v. Moltke.

Rostock, 1655.





14. 12. 7
LUCTUOSISSIMUS AC PRÆMATURUS
OBITUS.

GENEROSISSIMÆ, SCITISSIMÆ, SUMMIS CORPO-
RIS ET ANIMI DOTIBUS CONDECORATÆ PUELLÆ

ANNÆ CATHARINÆ
von Moltken.

Quæ ex calamitosâ hac, breviq; vita, Anno 1654.
die 24. Mensis Decembris, inter 3. & 4. horam matuti-
nam; dum in his terris, vix octo annos commorata fuisset, præ-
maturô fatô, in cœlestem patriam sanctorum migravit.

DE QUO

GENEROSISSIMOS, NOBILISSIMOS AC MOST-
STISSIMOS PARENTES

DN. JOACHIMUM FRIDERI-
CUM von Moltken.

In Teutenwinckel & Wesselsdorff Hæreditarium.
UT ET


DN. MARIAM von Moltken /

Ex generosâ SPERLINGIORUM Profapiâ oriundam

IN SOLENNI FUNERIS DEDUCTIONE,
SPLENDOQUE CONVENTU. Die, nempe 14.
Mensis Martii, Anni M. DC. LV.

ANIMITUS CONSOLATUR

LAURENTIUS BODOCK, Ph. J. U. D.
Orator, Prof. Colleg. Phil. SENIOR.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII Acad. Typogr. Anno 1655

GENEROSISSIMI AC
MOESTISSIMI PA-
RENTES,



Ravissimum profe-
ctò vulnus, & quod ipsa
cordium penetravit me-
ditullia, (fateor) excep-
istis; quandò videlicet
præter spes & vota vestra,
præter omnium bono-
rum desideria, illa aurò
Orbisq; thesauris pretiosior filiola, illa pien-
tissima ac scitissima puella, ANNA CATHA-
RINA von Moltken / nuperrimè elapsi Anni
1654. Mense Novembre, vix octo annis in his ter-
ris emensis, nostri mortalis cœtus consortium,
reliquit. Et fateor, neminem esse, nisi qui huma-
nitatis sensum exuerit, vel ex sævissimæ Tygri-
dis uberibus ferociam suxerit; neminem in-
quam esse, qui paternæ maternæq; pietatis ve-
stræ gloriam, luctuiq; vestro, ac amarissimis
lachry-

lachrymis veniam denegabit; quas copiosissime effudistis, quando nempè ex hac vitâ, abibat à Vobis dulcissima illa proles vestras; quando proh dolor! abibat spes generosæ propaginis; quando abibat fulcrum inclitæ profapiæ; quando abibat unica illa vestra, post DEUM, in hac vitâ, inter tot vitæ hujus acerbitates voluptas. Quæ, in hacce bellicosissimâ olim Hænetorum Sede, ultrâ duo secula Europam, Asiam, Africam triumphante, nunc verò in hac nobilissimâ, amœnissimâ, fertilissimâq; Mecklenburgensium Regione, Viris Marte & Pallade celebratissimis clarissimâ. A. D. 1647. die 16. Januarii, cum incredibili vestrâ mœstissimi parentes lætitiâ, mundum salutaverat; mox per lavacrum sanctæ regenerationis, Ecclesiæ JESU incorporata, sanguineq; ejusdem pretiosissimò, à peccatis omnibus emundata. At crudelissima mors, ubicunq; & quodocunq;, de medio mortales tollens, in ipsam, vix octo annis, ad stupendas in sexu foemineo virtutes succrescentem, velut immaturum pomum, lascivâ suâ & rapaci dexterâ, ex hoc svaveolenti MECKLENBURGICI SOLI Horto decerpfit; Scilicet hæc atrocissima Diva, non certum ad lethalem ictum destinat locum, & sive quis intrâ

A 2

patrios

patrios lares, vel sivè etiam domi se inclusum
contineat & custodiat, fata effugere aut decli-
nare nunquam poterit, velut MARTIALIS
lib. 4. Ep. 60. cecinit.

*Nullò fata loco possis excludere cum mors
Venerit, in mediò Tybure Sardinia est*

Nata fuerat hæc pulcherrima corpore &
animò puella, ex Vestrò, Parentes afflictissimi,
generosissimo, honestissimoq; MOLTKENI-
ORUM & SPERLINGIORUM sangvi-
ne. Coruscabat, quoad paternam, utriusq; la-
teris lineam, Generosissimorum, Nobilissi-
morum MOLTKENIORUM, ROTER-
MUNDORUM, BEHRIORUM, KRA-
KEWIZIORUM, LUEHORUM,
BREDOWIORUM, BARNKOWIO-
RUM, & præter hos, HOBENNIORUM,
GRABOWIORUM, OLDENBUR-
GIORUM, OHSTENIORUM, JAS-
MUNDIORUM, KARCHDORFFIO-
RUM, GRABOWIORUM alterâ vice,
insignibus; velut sempiternis, virtutum à Majo-
ribus Paternis partarum testimoniis, à quibus
paterna MOLTKENIA Domus, eximium
sanè obtinet fulgorem. Splendebat & quoad
maternam, utriusq; quoq; lateris lineam, etiam
Gene-

Generosissimorum ac Nobilissimorum SPER-
LINGIORUM, BLUCHERORUM,
PLESSIORUM, SCHAKIORUM, BU-
LOWIORUM, JENSCHOWIORUM,
HASELHORSTIORUM, & ultrà hos, PLES-
SIORUM secunda vice, OLDENBURGI-
ORUM, SCHÖSSENIORUM, BOHTI-
ORUM, ZULOWIORUM, PENTZI-
ORUM, BAHRSTORFFIORUM,
WALLENIORUM stemmatibus, tan-
quàm præclarissimorum facinorum, quibus &
maternus SPERLINGIANUS sanguis sum-
moperè inclaruit, documentis. Et vel solius
sanguinis paterni ac materni fundamento nixa,
per tot familiarum in Romano Imperio famige-
rabilium gradus, ad gloriæ humanæ fastigium
contendere & ascendere poterat. Verùm pro-
dolor! mors inexorabilis, præstolari noluit,
donec suos illustres majores, propriis etiam vir-
tutibus & factis exornasset; donec nobilissimam
suam originem, quàm vobis tristissimi parentes
debut, præcellentibus animi sui dotibus conde-
corasset; sed quæ *involvit pariter Excelsum caput,*
æquatq; summa infimis, tam citò elegantissimam
hancce puellulam, ex albo viventium expun-
xit. Ah! quàm insigniter, quàm piè, quàm reli-
giosè

giosè, à Vobis, ô Integerrimi Parentes, ad
DEI OPT. MAXIMI gloriam & cultum edu-
cabatur? quantà curâ & sollicitudine, in virtuti-
bus, & NOBILISSIMUM, utriusq; sexus, san-
guinem, decentibus exercitiis informabatur?
qui egregiè ab illo sapientissimo PLATONE
edocti estis, *Benè natos, si benè etiam educantur,*
ità demum ad virtutem pervenire posse. Et quis hic
præstantissimam ejus indolem, cum suavissi-
mâ corporis venustate conjunctam calamo exa-
rabit? Erat enim me hercule! volucris quodam
igne, ad divina imprimis, & ad præclarissima,
quæq; accensa; erat ad totius honestatis studiâ
puella propensissima, nulla virtus erat tam excel-
soloco, arduoq; posita, quàm non ejus ani-
mus, generositatis sublatus alis anhelaret. Verbi
Divini amore incredibili semper ardebat; Sacris
Historiis, piïssimis precationibus, dictisq; san-
ctissimis, è Codice sacrò depromptis, ac potissi-
mum illo tanquam sibi proprio symbolò, *Was
trauret Ihr doch / G D T T lebet noch* / tum
suam animulam mirificè recreabat, tum Vos
parentes dilectissimos, si aliquandò curis do-
mesticis consternatiores cerneret, dulcissimè
solabatur; Cum autem ejus integerrimo san-
gvini, spirituiq; sublimiori, in tam tenellò ef-
fulgenti

fulgenti corpusculo, per naturam, jucundioris
harmoniae amor fuisse insculptus, tantâ celeri-
tate, honestas & jucundas, præcipuè verò sa-
cras cantiunculas arripiebat, ut non tam audire
primùm, quàm reminisci, nec tam accipere à
præceptore, quàm ipsa ex se parere, eorumq;
reminisci quodam modò ac recordari, ex illâ
vetere Platonis, de æternitate animorum sen-
tentiâ, videretur. Sed & hæc omnia, mors
implacabilis, nè pili quidem æstimavit; & quæ
*neq; improbos despicit, neq; insigni indole præditos
admiratur*, in tam fragranti ætatis flore, subtra-
xit rebus mortalium Virgunculam hanc incom-
parabilem; subtraxit dulcissimum vestrum,
ô parentes luctuosissimi, decus; subtraxit puel-
lam omnium oculis gratissimam; cui vel de meis
annis, ut DEUS addidisset annos, animitus
exoptassem. O cladem irreparabilem. O jactu-
ram acerbam, quàm quis nisi ferrei pectoris,
nisi à bonâ mente averfus, non inter atrocissi-
mas ærumnas & infortunia, quæcunq; domum
vestram, tanquam pestilentissima sydera afflare
poterant, reputabit? Tot jam, prætereâ, in
hac puellâ, inter pudicissimos parietes, in san-
ctissimâ disciplinâ educatâ, emicabant dotes,
quot serenâ nocte fulgent in cœlò stellæ, instar
canden-

cendentium gemmarum suis orbibus affixæ.
Talis jam, vel ipsius naturæ præstantiâ evadebat,
ut in ejus candidissimum ac piissimum corculû,
ipse DEI cultus, ipsa erga parentes reverentia,
& obedientia, ipsa ergâ pares modestia, ipsa er-
ga inferiores comitas, ipsa pudicitia illibata,
custodia, ipsa otii ac desidia fuga, cæteraq; in-
signes virtutes, tanquam in Delubrum & Sacra-
rium commigrasse viderentur. Omnes in eâ
pariter certabant virtutes, & omnes vicissent, si
diutius in hisce terris vixisset. Sed nec naturæ
bonis erat destituta, in quâ formæ quædam
venustas, tanquam lucidissimum animi genero-
sissimi indicium perstringebat aspectus morta-
lium; frons illa pudicissima, verecundiæ sedes
molliter assurgebat; sub decoris illis superciliis,
emicabant dulces oculorum faculæ; labra illa
subtilia, mitissimæ facundiæ, & cœlestum gratia-
rum erant receptacula; magna illa sermonis af-
fabilitas, summa incessus modestia, vultus sine
mollitiæ decorus, in perpetuô sereno positus,
exundantem de cœlô vim lætitiæ vix capiebat.
Ast eheu! ut infida sors rotat, exercetq; huma-
nam sortem! O quàm fluxæ quàm lubricæ sunt
res mortalium. O quàm nulla est mundi læti-
tia, quàm mox, non aliqua consequatur calami-
tas.

tas. Vix enim octo annos florentissima hæc puella
Solem aspexit, & ecce illam crudelissima mors,
Anno elapso M. DC. LIV. Mensis Novembris, die
24. circa horam 3. & 4. matutinam, in aliorum
mortalium communem conditionem redegit;
de illo fulgore dejectam, in feralem suam pote-
statem detrussit; & in omnium oculis splenden-
tem, insigniterq; enitescens, in solitudinem
& tenebras conjecit; quippè

nec pietas moram

Rugis, & Instanti senectæ

Affert, indomitaq; morti.

Sed, ô quam fragiles sunt spes humanæ, quam
fallaces & inanes contentiones; quæ in medio,
quid dico in medio? in ipsius principii spatio,
scæpè franguntur, corruunt, & antè in ipsò cursu
obruuntur. O quam festinanter, hujus vitæ
scenam peregit, hæc carissima puellula; quam
brevi fabulam hujus vitæ absolvit; *quam ipsi*
(ut cum Cicerone l. 1. officior. c. 28. loquar) *natura*
imposuit, magnâ cum excellentiâ, præstantiâq; ani-
mantium reliquorum, & in quâ, pulcherrimam me
hercule! personam repræsentavit. O quam ve-
lociter, ex hoc ludo & theatro mortalitatis se-
cessit. ah quam parvus fuit circulus rerum ejus
humanarum; quam subitò rota vitæ ejus move-
ri desiit, quam olim in Deorum templis, Ægyp-
tiii, tanquàm inconstantissimæ vitæ symbolum

verti iusserunt. O quantò imperu, & non aliter ac navicula, pretiosissimis virtutum gemmis & margaritis plena, ex hoc mundi pelagò abiit, nè quidem vestigium sui, parentibus dilectissimis, præter pectus mœroris & lachrymarum plenum, sempiternumq; in hac vitâ sui desiderium reliquit. O quàm citò exaruit ros hic matutinus; quàm citò contabuit hicce delicatissimus flosculus; qui jam svavissimè, in MOLTENIA Domo, tanquam in amœnissimo Horto fragrabat. Scilicet, eripit se aufertq; ex oculis perfecta virus, nec ultimum tempus expectant, quæ in primò maturuerunt. Ignis, quò clarior fulsit, eò citius extinguitur. sic ingenium hujus præclarissimæ puellæ, quò illustrius, eò brevius fuit; & ubi incremento locus non erat, nil nisi vicinus occasus expectari ab ipsâ potuit. Sed quid jam facietis Parentes mœstissimi? Annè vos acerbioribus & prolixioribus conficietis gemitibus? annè ex ritu antiquæ superstitionis, præficas, mortuorum deploratrices conducetis? annè præ intimò animi dolore, ungvibus genas fœdabitis? annè fluvios profundetis lachrymarum? annè miserabiles has, quas dolorem suggerere posse, probabile est, cum ejulatu, voces edetis? Ah ubi es? ubi es filiola svavissima? Cur nos, qui te tanto complexi sumus amore deseris? Ouis iam nostram, in hac vitâ orbitatem prote-

get? quis scipiones nostros fulciet? Ah! quomodo tam ardentem, de te sublatâ dolorem feremus? quomodo orbitatis tempestatem effugiemus? Duo olim lætissima lumina possedimus, **MAGDALENAM MARGARETAM** primò ætatis flore antè annos aliquot, Anno 1650. die 5. Martii, non sine luctu gravi, à nobis sublatam. Et jam te, **ANNAM CATHARINAM**, præterlapsi Anni 1654. die 24. Mensis Novembris extinctam. Sed, utraq; hæc lumina nostra, sævissima mors crudeliter effodit. O insana, O iniqua mors, cur non parentes potius antè filiam præripuisti? Hic enim est naturæ ordo, ut liberi parentes præmittant. At quia hunc statum ordinem invertisti; ah! gratificare nobis quam celerrimè, neq; morare, nos quoq; mortuis apponere; satius est enim, nos eodem tumulo sepeliri, quam absq; illâ, hac lucis usurâ ulterius frui. O quantum mutata es ab illâ, **ANNA CATHARINA**, cujus intimis amplexibus, cujus osculis melle ac favo svavioribus fruebamur; & quam nunc infelices, nil nisi cinerem, fabulam, umbram, nihil, intuemur. Heu! heu! quot delicias una nobis dies, instar infesti turbinis abstulit? tecum nobis filiola jucundissima, omnia vitæ solatia perierunt; tecum in eodem sepulchrò jacent conclusa atq; composita; heu quomodo ut somnium nobis evanuisti,

omnesq; spes nostras de re conceptas decollasti.
Verum abstinere (obsecro) ò religiosæ animæ, à
tâm impotenti ac immoderato planctu; quas nō
anceps & vacillans opinio de immortalitate ani-
marum, sed verissima & christiana fides illustra-
vit. Segregate, (quæso) tales ac inauspicatos ser-
mones, minimè eos ipsos decentes, qui ex infal-
libili VERBI DEI Oraculo edocti sunt, mor-
tem esse non solum miseriarum finem, sed æter-
næ exordium felicitatis. Jucundâ quidem re-
cordatione recolere potestis, eximias puellæ hu-
jus virtutes; quæ cœlesti quodam fulgore in eâ
emicantes, omnium oculos atq; admirationem
in se convertebant. Revocare potestis in me-
moriâ, admirabilem ejus ergâ DEUM pieta-
tem, cujus animula amore divinò & afflatu,
tanquam magnete tacta, & tanquam Sole cale-
facta; in solo Verbo DEI, in precibus matutinis
& vespertinis, in sanctissimis Scripturæ Sacræ
dictis, quæ ipse Sacrosanctus Spiritus, pectori ejus
in sculpserat, unicum suum solatium sentiebat.
Nemo prohibebit, nè cogitetis, quantâ subjecti-
one & submissione Vos coluerit; quantò filiali
amore, per totam licet brevem vitam, & in ipsò
lethali lectò, Vos complexa fuerit; quoties la-
chrymas manantes, è purissimis ocellis abster-
serit, nè uberiores vestras promoveret lachry-
mas; quoties illis mellitissimis labellis, magis de

vestrâ quàm propriâ vitâ sollicita, nè tantoperè
doleretis, Vos precata fuerit. Nemo vitio vertet,
si recordemini, quantâ pietate, die 17. Novem-
bris, Anni elapsi 1654. sentiens ingentes capitis
dolores, advertensq; frangi tenelli corpusculi
vires quantâ inquam pietate, quantâ devotione,
complicatis manibus, antè lectum, psalmum
51. **GOTT sey mir gnedig nach deiner gûte &c.** ora-
verit, & quasi præfaga faustissimi ex hac vitâ
transitus, se totam Divinæ providentiæ ac volun-
tati, devotissimè commendaverit. Nemo cul-
pabit, si reminiscamini, illa stupendam spiran-
tia prudentiam, & ex sacro desumpta codice
verba, quæ, cum non haberet, quò intensissimam
restingveret sicim, ex aditò cœlestis sui corculi,
ad stuporem adstantium effundebat. *Nu/mein
herzen Mutterken / wird mich GOTT trencken/
aus seinen Munde / wie er dem abgematteten dur-
stigen Simson trenckete / aus eines Esels Kinne-
backen / da er die Philister geschlagen.* O verba,
aurò & Cedro, in honorem, ac æternam tantæ
prudentiæ memoriam exaranda, & non aliun-
dè, nisi ex Spiritus Sancti fonte, uberrimè proflu-
entia. Nemo nisi impius vituperabit, si cogita-
veritis, quàm Sanctam, ac planè divinam, Vobis,
jam jam ipsi ultimum, cum amarissimis lachry-
mis, Vale dicentibus, benedictionem impetie-
rit, quàm piis, & verè filialem amorem spiranti-


bus hisce verbis, dilectissimam Matrem ad lectum revocatam, extensâ ad illam tenerrimâ dexterâ, spirituq; recollecto, antè extremum vitæ halitum, compellaverit. Mein Herzen Mutterken / ihr solt an Leib und Seel gesegnet seyn / ja gewisse / gewisse / sollet Ihr gesegnet seyn. Nul-
lus, nisi flagitiosissimus mortalium reprehendet, si perpenderit, quantâ promptitudine dissolvi ex hoc corporis ergastulo, CHRISTOQUE JESU, in omnem æternitatem conjungi exoptaverit; quantâ generositate, Reverendo Dn. Pastori, annè ex hac vitâ emigrandi animum haberet? quærenti; Ach ja/so kom ich ja im Himmel responderit? quam ardentibus precibus, è cordis sui, DEI solius, vitæq; æternæ amore inflammati penetrali; uti Herr wenn ich nur dich hab &c. Pl. 37. Herr Jesu dir lebe ich &c. Herr mein Geist befehl ich dir &c. emiseric; ut jam tum cælestis gloriæ primitias, orando degustasse videretur; quantâ deniq; sapientiâ, ocellos illos castissimos, nitidissima illa Sydera, ut & ipsa labella, in quibus omnes gratiæ sessitabant, & è quibus juges cælestis sapientiæ torrentes exundabant, propriis manibus occluserit? quantâ ad extremum mentis tranquillitate, relinquens hoc coneretum & mortale corpusculum, probissimam illam animulam, eò ipso die, quò ante annos octo nata fuerat, quasi placidissimo sopita somno, expiraverit. Talia quidem cogitare, talibusq; tanquam fortissimis solatiis erigere licet, consternata luctu pectora, lenireq; animorum ægritudinem, parentes generosissimi. Sed ex hujus piissimè denatæ filiolæ amissione ulterius contristari, ignavoq; luctu, aut infirmis desiderii occasum illius prosequi, nec licet nec decet, nulla enim est frigidæ mœroris utilitas; nunquam illo fi-

liam vestram resuscitabitis; neq; mors ad ulla mortali-
um lachrymas movebitur; quæ immota in æternumq;
fixa, nullâ miserâ mutatur, & quidquid semel abstulit,
firmissimè tenere consuevit. Satius itaq; ad unicum il-
lud afflictæ & exculceratæ mentis perfugium, atq; asy-
lum; Ad sequestrum nempè & mediatorem generis hu-
mani, principem vitæ, dominum gloriæ, Servatorem
nostrum **JESUM CHRISTUM**, in hac tristitiâ,

qua Vos nunc coquit, & versat sub pectore fixa
mentes vestras generosissimas flectite. Et cogitate, solâ
Divini Numinis voluntate, quod vitam & mortem om-
nium mortalium, tam senum quàm juvenum, prò arbi-
triò dispensat, filiolarum vestram mortuam esse; si mor-
tua dici potest, cujus præstantissima pars, vitabit Libi-
tinam, & cujus excellentissimas animi dotes, cum gra-
tiosissimâ corporis specie, nulla unquam expunget ob-
livio, nulla atteret invidiosa vetustas. Cogitate illò
ipsam ivisse, quò omnia eunt; hoc parentibus vestris,
hoc majoribus, hoc amicis, hoc priori filiolarum, hoc om-
nibus antè vos evenisse, hoc omnibus, post vos even-
turum. Quid autem absurdius est, quam id quod sci-
tis, omnibus præscriptum esse, quasi speciale, in filiolarum
deplorare? cum hoc nihil aliud sit, quam animum su-
pra conditionem extollere, quam legem mortalitatis
non recipere, quam commune naturæ consortium,
recusare, & humanitatis ipsius nescire mensuram. Eò
æquiore animò jam esse; quia non amisistis filiolarum,
sed præmisistis; vos etiam in posterum, in idem cum
ipsa diverforum ventari, communemq; unâ, reliquam
vitam, cum eadem acturi; quid autem insipientius, quam
cum idem mihi iter ementiendum sit, flere illam, quæ
me antecessit? Æmulemini **ANAXAGORAS**,
XENO.

XENOPHONTES, FABIOS MAXIMOS,
aliosq; plures, quorum exemplis, Græcorum, Romano-
rumq; annales abundant, qui fortissimè mortes suo-
rum liberorum pertulerunt, etiamsi perexiguam spem
haberent; aliquid hominis à rogo superesse; nec cum
corporibus animas heroum interire. Congratulemini
fatius beatissimæ filiolæ, quod tam celeriter, ex lugen-
ti campo, ad sempiternam felicitatem, ex mortalitatis
carcere, ad vitam beatissimam & infinitam commigra-
vit. Quam, si jam è miseris hujus mundi triumphantem;
jam cœlum velut natale solum adeptam; si inquam aut
lachrymis aut votis, ad has mortalium calamitates re-
vocare velleris; duri sanè, & in defunctam, vel fatius, in
coelo, inter illos beatissimos Spiritus exultantem, injurii
effetis. Gaudete potius, quod jam illam verissima ex-
cipiat mortalitas; quod vitæ hujus periculosissimos sco-
pulos prætervecta, nunc optatissimâ statione, inter æ-
viternos Angelorum concentus perfruatur. Adextre-
mum, beatissimam hanc animulam, jam additam no-
vum decus cœlesti choro, Salvere, aut potius, æter-
num valere & avere jubete; donec cum illâ, & cum
ipsâ æternitate, ex his generis humani propudiis,
ex hoc turbarum labyrintho, ex hoc mi-
seriarum cœno eluctati, con-
jungamini.





Generosissimorum ac Nobilissimorum
LINGIORUM, BLUCHE
PLESSIORUM, SCHAKIO
LOWIORUM, JENSCHOW
HASELHORSTIORUM, & ultra
SIORUM secundavice, OLDE
ORUM, SCHÖSSENIORUM
ORUM, ZULOWIORUM,
ORUM, BAHRSTORFFI
WALLENIORUM Itemm
quàm præclarissimorum facinoru
maternus SPERLINGIANUS
moperè inclaruit, documentis,
sanguinis paterni ac materni funda
per tot familiarum in Romano Imp
rabiliu gradus, ad gloriæ huma
contendere & ascendere poterat.
dolor! mors inexorabilis, præst
donec suos illustres majores, prop
tutibus & factis exornasset; donec
suam originem, quàm vobis tristit
debut, præcellentibus animi sui do
corasset; sed quæ *involvit pariter*
æquatq; summa infimis, tam citò el
hancce puellulam, ex albo viven
xit. Ah! quàm insigniter, quàm pi

A 3

